





B. N.
309.

Xm. 195.

10

DISPUTATIO
DE
SIMPLICIUM
MEDICAMENTORUM
FACULTATIBUS

IX.

*Ex Capitibus 14. 15. 16. & 17. Libri
tertii Galeni de simplicium medicamen-
torum facultatibus collecta:*

Et
Publici exercitij gratia in inclyta Argen-
toratensium Universitate proposita

à
MELCHIORE SEBIZIO,
DOCTORE ET PROFESSORE
Medicinæ, Comite Palatino Cæsa-
reo, ac Reipubl. Archiatro:

Respondente

JOHANNE CASPARO EPPLIN,
NORDLINGENSI.

• 6 (:) 9 •

ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELFERI.
M. DC. XLIX.

VIRIS

Generis claritate, doctrina & eruditionis præstantia
multarumque rerum usu atque experientia or-
natissimis maximeq; conspicuis;

DN. JOHANNI JACOBO KIPSIO,
inclytæ Reip. Argentoratensis Quindecimviro
prudentissimo, Domino, Patrone, & Mecœnati
suo submissè observando:

DN. ALBERTO WESNERO, majoris Senatus
Adseffori dignissimo, Pharmacopæo peritissimo,
Evergetæ & Promotori suo omni honore pro-
sequendo:

DN. M. IOHANNI ANDREAE KNODERERO,
Pastori Ecclesiæ Neopetrinæ vigilantissimo, Fau-
tori suo magno, hocque nomine plurimum co-
lendo & suspiciendo:

DN. IOHANNI VLRICI, Diacono Parochiæ
Guilhelmitanæ fidelissimo, Domino & Patrono
suo summè venerando:

DN. IOACHIMO STOLLIO, SS. Theologizæ
Candidato meritissimo, Perillustrium & Gen-
tissimorum Dn. à Rappoltstein &c. Conciona-
tori laudatissimo, Præceptorí quondam suo fi-
liali amore & obsequio honorando:

DN. IOHANNI PHILIPPO FRIDERICI,
publici ærarij Argentoratensis Actuario dexter-
rimo, Benefactori suo æternum colendo:

DN. IOHANNI GEORGIO DAMBACH,
Civi Reip. Argentoratensis honestissimo, Amico
suo munificentissimo:

Hasce studiorum suorum in arte Medica primis-
tias decenti & convenienti animi sub-
missione atque observantia
offerit & dedicat

Johann-Casparus Epplin, Nördlingensis.



PROBLEMA

I.



Um in præcedentibus dictum sit, ita in medicamentorum genere comparatum esse, ut licet videantur simplicia, naturâ tamen sint composita, quæritur, an dogma istud rationibus & exemplis probari possit? Respondet Galenus, tametsi plurima pharmaca àπλαν τερπεται συστητι, sensu appareant simplicia, Ἡν φύσει tamen esse σύνθετα, natura composita: & səpiùs ἐναντίωτας δυνάμεις, maximè contrarias in se habere facultates: nimirūm exercitandi & fistendi, incrassandi & extenuandi, rarefaciendi & condensandi, illinendi, sive infarciendi & abstergendi, tendendi & laxandi, & sic deinceps, quemadmodum libro 4. ostendetur fuisse.

Si quæratur, an etiam in uno eodemque medicamine partes esse queant secundum primas illas & efficacissimas qualitates, calidam, frigidam, humidam & siccām, contrarie? Respondeatur, omnino: idque probatur hoc argumento. Si secundae qualitates earumque facultates inesse possunt simplicib. pharmacis, contraria, poterunt

T 2

inesse

inesse & prima contraria : quoniam illæ ab his dependent & oriuntur. At prius verum est. Ergo & posterius. Quod autem Natura contrarias hasce qualitates in uno simplici commiscere possit, sequenti confirmatur syllogismo.

Si ars commiscere potest contraria, ita ut unum remedium contrarias habeat facultates, v. g. adstringendi, sive cohibendi ventris fluxum, & eundem movendi, multò magis id Natura præstare potest. Prius præstare potest ars. Ergo multò magis Natura.

Prius declarat Galenus exemplo remedij compositi, quod confectum ex Rhu sicco & melle. Hoc enim ratione seminis Rhois vi pollet adstrictoria: ratione vero mellis vi abstersoria & vacuatoria.

Illustrat quoque idem prius exemplo rei naturalis, lactis nimirūm, quod & vim ventrem fissendi, & eundem subducendi in se continet. Illam quidem ratione substantiæ caseosæ: hanc verò serosæ causa. Lib. 3. c. 14.

II.

Possitne idem etiam aliorum simplicium exemplo planum fieri? Omnidè. In medium autem profert Galenus Brassicam, Betam, Lenticulam, Conchulas marinas, Ostrea, jus galli decrepiti, Æris squamam. Hæc enim medicamina licet sensu videantur simplicia, natura tamen sunt composita, & facultates habent diversas, imò & contrarias. Ex quo iterum concluditur Naturam uni eidemque simplici necessarias inde-

re

re posse qualitates & virtutes. Nam succus Brassicæ ventrem solvit: corpus autem, sive substantia ejus crassa, eundem adstringit: præsertim si bis terve coquatur. Quod enim in illa acre est & nitrosum, in jus deponitur. Quod crassum, terrenum & adstringens, in corpore, sive substantia brassica manet.

Eadem ratio Betæ est, atque adeò omnium fermè aliorum, quib. sapor aut acer, aut nitrosus, aut salsus inest. Hisce enim qualitatib. irritantib. & stimulantib. qua juri insunt, ventrē va-
guantur crassa vero & adstringente eundem fistunt.

Eadem est & Lenticulæ. Nam tametsi satis magnam adstringendi potentiam gustui repre-
sentare, tamen & virtute ventrem laxandi præditæ est. Decodum enim illius vim ventris solvendi ob-
tinet. Succus etiam ejus, si gustetur, perspicuam
misturam nobis offert: perinde ac si nitroso austero
sum quid commisceas.

Eadem Conchularum marinorum, & reli-
quorum Ostracodermorum. Nam succus eorum
salsus est, & proinde ventrem laxat. Caro verò
illum cohicit & stringit. Verum hoc esse depre-
hendes, si conchylia ista coxeris, quemadmodum
Brassica coqui solet.

Eadem Gallorum veterum. Eorum namque
jus ventrem dicit: caro verò fistit.

Eadem Squamæ æris, in qua uti gemina est
qualitas, ita & facultas gemina. Adstringit
enim & mordicat. Adstrictoria facultate exult-

ceratas carnes cicatrice obducit: mordicante pre-
humidas colliquat. Quod si intro in corpus su-
matur, ventrem quidem purgat, sed non cohibet.
Adstrictoria quippe virtus ab acri & purgatoria
superatur, non secus ac si Rhoi scammoniam per-
misceas. Quod enim ex utroque mistum est,
ventrem movet, non sistit, licet austertas gustu
exuperet. Lib. 3. c. 15.

III.

Num idem dogma etiam alijs arte com-
positis medicaminibus illustrari queat: quod
scil. ea, quæ saporis & ventriculi roborandi
gratia admiscentur, purgantia, quibus admi-
scentur, eatenus vincant, quatenus illorum
sapor manifestè sentitur: ipsa verò purgantia
rursùs ea superent facultate alia, nimirùm
purgatrice? Maxime. Nam si propter agros,
ne à purgantibus abhorreant, eaque aversentur,
purgantia cum ijs misceantur simplicibus, quæ
vel ori sunt grata, vel ventriculo amica, cuius-
modi est caro mali cydonij, aut palmula, vel ven-
triculum, ne subvertatur, adstringendo roborant,
ut sunt baccæ myrthi, mastiche Chia, alia, tūm
purgantia quidem ab istis adstringentibus eate-
nus vincuntur, quatenus gustu non percipiuntur,
ut illa, quæ sibi sunt adjuncta, tamen facultate
alia, & quidem nāθaplinij adstringentia rursùs
superant. Ratio est: quia quæ oris & ventriculi
causa admiscentur, quantitate sunt copiosa: ideo-
que purgantium saporem sus} copia obscurant

&

& quasi operiunt. Contrà, purgantia quantitate quidem parva sunt, & exigua, validis autem viribus prædita. Ideoque sapor quidem eorum obtunditur: qualitas autem καθαρικὴ ea, quae gustus gratia admista sunt, superat: ita ut compositum non adstringat ventremque sistat, sed potius purget. Perspicuitatis gratia syllogismus formari potest talis. Quæ quantitate sunt magna & copiosa, viribus autem debilia, illa obscurare quidem saporem possunt eorum, quæ quantitate sunt minora, purgandi autem virtute efficaciora. At quæ gustus & suavitatis gratia admiscentur, quantitate quidem magna sunt & copiosa, viribus autem debilia: contrà quæ purgant, quantitate quidem sunt parva, virtute autem magna. Ergo illa horum quidem saporem obscurare queunt: sed purgantia illa iterum sic obtundunt, ut adstringere & cohære alvum nequeant.

Obijcies. Q. adstringentia sunt corpora, ventrem potius reprimere, quam ciere credendum est. οὐδέ τοιούτην enim & ἀτόπην videtur, res adstringendi facultate donatas purgare. At corpora, quæ recensita, utpote æris squama, aloë, asustum &c. adstringentia sunt. Ergo ventrem potius reprimunt, quam cieren. Huic objectioni Galenus obriam it hoc argumento. Si nemo miratur, nemoque pro ἀλόγῳ καὶ ἀτόπῳ habet, quando malum cydonium, quod adstricteria. vi præditum est, ratione scammonia, quam admistam.

T 4 habet.

habet, purgare dicitur, nemo etiam mirari debet, multoque minus pro ἀλόγῳ καὶ ἀτόπῳ habere, si perhibetur, aloem purgare, non obstante, quod etiam adstringentem insitam sibi obtineat qualitatem. At prius nemo miratur, neque pro absurdō habet. Ergo neque posterius mirari, aut absurdidatis arguere debet.

Regeres procul dubio. Si purgantia adstringentibus admista, fortiora efficaciora sunt adstringentibus, quib. in compositione sunt addita, deberent etiam gustus organum, linguam, magis afficere. At hoc non faciunt: quia adstringentium sapor, qui ori gratus, & ventriculo salutaris, quoniam illum confortant, prepollet. Ergo purgantia adstringentibus fortiora & efficaciora in una eademque compositione non sunt. Respondet Galenus hoc argumento. Quae à copia & quantitate aliorum sibi adjunctorum quasi obruuntur, ea vires initio suas exerere nequeunt, & per consequens gustus organum magis afficere non possunt. At purgantia à copia adstringentium in compositionibus quasi obruuntur. Ergo vires suas initio exerere, & gustus organum magis afficere non possunt.

Si quæras, quænam causa sit, quod compositiones illæ, quæ ex adstringentibus & purgantibus sunt conflatæ, foris quidem adstringant, intus vero purgent, responderet idem Galenus, causam esse, quia quod in talibus compositionibus purgat, ab eo, quod adstringit, foris separatum non est.

Intus

Intra vero in ventriculo separatio haec facta est.
Quo sit, ut, cum adstringentia in mixtura pre-
ponderent, purgantia quasi obruantur. Separa-
tione autem facta, purgantia operentur & alvum
moveant.

Quod autem separatio virium in causa sit, ut
purgatio non succedat, exempla aloës, æris squa-
mae, & æris usti docent. Nam si simplicia ista ac-
curatè laventur, aut debiliter, aut planè ven-
trem non subducunt. Quid ita? quia per lotu-
ram separata est vis purgatrix ab adstrictoria.
Lib. 3. c. 15.

IV.

An etiam ex saporum differentia, quæ in
adstringentibus observatur, probari possit,
σύνθετα esse, quæ ἀπλα, simplicia putantur?
Affirmativam tuetur Author: idque hunc in mo-
dum probat. In quibus sunt diversi sapore, in
ijs etiam sunt diversæ qualitates, & consequen-
ter etiam diverse facultates & substantiae, sive
partes. At in adstringentibus pharmacis sunt di-
versi sapore. Ergo & diversæ qualitates, &
consequenter etiam diverse facultates & sub-
stantiae.

Minor probatur. Quæ ita comparata sunt,
ut quedam illorum sint mitia ac suavia, ac pro-
inde esui apta; quedam vero molesta, ingrata &
medicamentosa, in ijs sunt diversi sapore, di-
versæ qualitates, facultates, & partes. Atqui
adstringentia ita sunt comparata, ut quadam

T 5 sint

sint mitia & suavia, esuique idonea: quædam
molesta, ingrata & medicamentosa. Ergo in ad-
stringentibus diversi sunt sapore, diversæ quali-
tates, facultates & partes. Nam si omnibus ad-
stringentibus unicus tantum inesset sapor, unica
qualitas & facultas, haud sanè inter ipsa alia
essent esui apta, alia medicamentosa, sed tantum
in adstringendo inter se καθ' ὑπόστοις καὶ μᾶλλον
differunt. At consequens est falsum. Ergo &
antecedens.

Consequens probatur sensu gustus. Etenim
Pyra, Poma, Mala Cydonia, & Punica, adstricto-
ria sunt, sed gustu suavia. Aloë vero, squama
eris, æque ustum itidem suauità quidem sunt,
sed ingrata & φαεμαχώδη. Lib. 3. c. 15.

V.

Sitnē eadem ratio etiam in alijs simplici-
bus, ut & diversi sapore, & diversæ quali-
tates, & diversæ partes ijs insint? Affirma-
tur: cum hoc tamen discrimine, quod diversitas
ista in alijs percipiatur manifestè & evidenter:
in alijs vero obscure: ita ut eam ratione collige-
re oporteat: & quidem à posteriori: h. e. ab ef-
fectu. Ipsa quidem súlis adstrictio, unum quid
in omnibus, qui eam possident, efficit: & non so-
lùm súlis, sed etiam reliquæ omnes qualitates:
non aliud v. g. in aloë, aliud in malo Punico.
Quia vero nullum omnino simplex ab aliis quali-
tatibus sincerum, (καθαρὸν ἀνέρισθως καὶ ἀμικτὸν)
reperitur, ideo diversi effectus ab alijs atque alijs
adstrin-

adstringentibus simplicibus conspicuntur: qui tam
men non adstringentibus per se, sed qualitati-
bus, quae adstringenti adstant, accepti ferendi
sunt.

Confirmat Galenus istud hoc argumento. Si
non idem effectus eduntur ab omnibus adstrin-
gentibus, sed alij ab alijs, sequitur, illos effectus
diversos non ipsi adstrictioni ascribendos esse. At
idem effectus ab omnibus adstringentibus non
eduntur, sed alij ab alijs. Ergo diversi illi effe-
ctus non adstrictioni, sed qualitatibus alijs, cum
adstrictione in uno simplici complicatis, ascriben-
di sunt.

Minor illustratur exemplo multorum ad-
stringentium simplicium. Nam alius effectus est
mespili, alius squamæ eris, alius aloës, alius mor-
orum, alius gallæ, alius malicorij, alius aluminis,
alius rhois obsoniorum.

Hinc concludit Galenus, quod melius fuisset,
si qui de adstringentium medicamentorum viri-
bus docuerunt, in genere τῆς σύφεως ἀντῆς,
de adstrictione ipsa verba fecissent, quam τῇ
τῶν συφόντων, de adstringentibus. Nam quod ad-
stringit, non modò adstringit, sed quia præter ad-
strictionem etiam alia qualitate, v. g. acri, pin-
gui, dulci, amara, salsa aut acida, instructum esse
potest, ideo præter adstrictionem etiam alios pro-
ducit effectus.

Distinguenda igitur inter se sunt in suis, ad-
strictio, καὶ τὸ σύφον, adstringens pharmacum.

Vnum

Unum enim idemque nequaquam sunt. Id quod Galenus hoc medio planum facit.

Si adstrictio perpetuò id unum solum est, quod est, & esse dicitur, adstringens vero nequaquam sequitur, hæc duo unum idemque non esse. Prius est verum. Ergo εὐθὺς & τύφον φάρμακον unum idemque non sunt: & propterea de utroque seorsim agendum est.

Minor confirmatur. Quæ diversimodè operantur, & diversos effectus edunt, ea unum idemque non sunt. Adstrictio & adstringens medicamen diversimodè operantur, & diversos effectus edunt. Ergo unum idemque non sunt.

Hæc Minor rursùs stabilitur. Quod unum quid est, & nullam aliam in se qualitatem habet, unum solum operatur: contra, quod varium est & multiplex, aliasque qualitates sibi adjunctas habet, id varia quoque producit. At qui adstrictio unum quid est, & quæ adstrictio, nullam aliam in se qualitatem habet: adstringens vero varium est & multiplex, quoniam præter adstrictionem etiam alias possidet qualitates, v. g. acrem, saltam, acidam, aliam. Ergo adstrictio unum solum operatur: adstringens multa. Sequitur igitur, adstrictionem & adstringens operari diversimodè.

Si quæras, utrum τὸ σύφον, adstringens medicamentum, per illas qualitates æqualiter operetur, respondet Galenus negando. Concedit quidem, id per alias illas qualitates semper agere,
sed

sed per hanc evidenter, per illam obscurius.
Evidenter per illam, quae predominatur: obscurius per eam, quae minor atque infirmior. Quamvis & corporum, quib. remedia applicantur, diversitas faciat, ut una qualitas non semper uno modo operetur in omnibus. Videmus enim & lac, & lentem, & brassicam, quamvis adstringenti polleant qualitate, tamen non in omnibus similiiter operari: verum horum quidem alvum citare, illorum vero sistere. Cujus rei causa sequenti sermone explicabitur. Nam sufficiat scire, plerisque simplicibus contrarias tum qualitates, tum facultates inesse. Lib. 3. c. 15.

V.I.

An non absurdum esse videatur, statuere, in uno eodemque simplici qualitatem & factatem esse ~~sunt~~ nū nāθāugslīnū, adstringentem & purgantem: cum haec facultates & qualitates sint contrariae: contraria autem in uno subjecto esse nequeant? Respondet Galenus, veteres quidem credidisse, haec qualitates contrarias esse: sed asseverat, se procedente sermone ostensurum, contrarias non esse. In praesenti autem monstrasse, etiam si quis eas contrarias esse ponat, tamen nil inde absurdii sequi: cum fieri possit, ut vel maxime contrariae tum qualitates, tum facultates uni substantiae insint.

Probat istud hac ratione. Nam si in succis stirpium aliud est, quod est gravissimum, aliud quod levissimum, aliud, quod toti succo permix-

tum.

eum, sequitur uni eidemque simplici contrariis
in esse qualitates. Prius est verum. Ergo verum
& posterius.

Prius declarat exemplo succi Rosarum:
In hoc enim aliquid est gravissimum, quod amur-
ca in oleo, & fæci in vino proportione respondet:
aliquid levissimum, quod simile flori cuique sus-
co supernatanti: aliquid tertium, quale est,
quod in musto fervet: aliquid denique quartum,
quod est purissimum, & ελινπινεσαλον, sincerissi-
mum, cuius tria priora sunt excrementa.

Obijcies: Atqui hac partium disparitas non
in omnibus appareat succis. Respondet Author,
non propterea negandum esse, succis eam inesse.
Causam vero, cur non in omnibus æquè apparet,
esse, quia succi non sunt unius ejusdemque na-
turæ. Quosdam enim vel propter substantiae &
mitionis perfectionem, vel propter caloris uberta-
tem, vel propter crassitatem, vel lentorem, ut vi-
num, oleum, & mel, durare diu admodum: alios
vero, ut succum rosarum, aliarumque quarundam
plantarum citè aescere, corrumpi & putrescere:
adè ut neque ζετη, ebullitione, neque sanguiter,
secretione eorum has exrementorum species in-
venire perspicue liceat. Quòd vero durent diu-
tiùs, opus esse vel coctione, vel alterius alicujus
perdurantis succi mistura. Nam si rosarum suc-
cis vel cum melle misceatur, vel oleo incoquatur,
vel rotæ rose in illo infundantur, longo temporis
spatio incorrupre asservari queunt. Quod autem

¶

& in hisce quatuor illae partes, sive substantiae,
succus scil. sincerissimus & purissimus, & tria ex-
crementa revera insint, facile exinde coniici
potest, quia non unus & idem sapor, sed mixtura
quædam saporum in illis gustu sentitur. In rosis
enim & adstrictio, & amaritudo, & dulcedo, &
mordicatio quædam levis atque exigua percipi-
tur.

Sic igitur ratiocinari licet. In quibus non
unus & simplex, sed varius & multiplex sapor
observatur, in illis etiam non una, sed varia est
& substantia partium, & qualitas, & facultas.
At qui tūm in rosis, tūm in multis simplicibus
alijs, non unus & simplex, sed varius sapor obser-
vatur. Ergo & in rosis, & in multis simplicibus
aliis non una, sed varia substantia partium, va-
ria qualitas & facultas inest.

Quod igitur in quibusdam succis diversitas
partium evidenter conspicatur, causa est, quoniam
illi dictas ob causas perseverant diu, & propterea
etiam diverse illæ partes, ex quibus constant, à se
invicem separantur, ut liquet in oleo, vino, &
melle. Quod eadem diversitas partium in reliquis
non ita sit manifesta, in causa est, quia prius
corrumpuntur, quam separatio diversarum par-
tium fieri possit. Lib. 3. c. 15.

VII.

Possetne probabiliter colligi alia aliqua
ratione, rosis, & stirpibus quibusdam alijs,
diversas inesse partes, qualitates & faculta-
tes,

tes, si vel maximè neque dulcedo, neque amaritudo, neque acrimonia &c. in illis deprehenderetur? Posset omnino. Et quidem ex eo, quod non extremè adstringant. Nam quod quidem adstringit, sed non τελέως, perfectè & extremè, id aliorum quoque saporum misturam indigitat. Rosæ, & quædam stirpes aliae, adstringunt quidem, ast non τελέως. Ergo aliorum etiam saporum misturam indigitant: & per consequens nos de diversitate partium, qualitatum, & facultatum certiores reddunt.

Major probatur. Si quod τελέως καὶ ἄκρως perfectè & summè adstringit, unicum solum adstringentem saporem nobis inesse demonstrat, sequitur, quod adstringit remissè, aliorum etiam saporum misturam nobis indigitare. At prius verum est. Verum ergo & posterius. Λὶ γαρ τῶν ἐναντίων ἀποτινάσθαι τὰς ἀπότινας θραύσται, contrariorum enim mixturæ summitates frangunt. L. 3. c. 15.

VIII.

Num & alia supersit ratio, qua confirmetur, contrarias facultates uni alicui inesse medicamini, tūm simplici, tūm composito? Omnino, eaque elicitur ex cap. hujus libri 16. Etenim, si actiones contrariae uno eodemq; tempore ab uno eodemque medicamento in nostris celebrantur corporibus, sequitur, facultates illi inesse contrarias: quoniam actiones à facultatibus proficiuntur. At prius verum est. Ergo & posterius.

Prius

Prius aliquot exemplis illustrat. Primum est mixtura mellis & absinthij. Nam si parem absinthij portionem melli exquisito permisam linguae imponas, compositio inde fiet γλυκύπικρα, dulcis amara: & lingua non alio tempore dulcedinem mellis, alio vero absinthij amarorem: neq; alterum solummodo saporem, sed utrumque percipiet.

Secundum compositio succi austeri & nitrofi, tūm artificiosa, tūm naturalis. Eodem namque tempore lingua utriusque succi saporem sentit. At si sentit, utique & afficitur, idque pro horum succorum viribus.

Tertium mistura succi solani & chamæeli, quæ inflammatae alicui parti applicatur. Nam si parti phlegmone laboranti solani succus admoveatur, deprehendetur, eam & densari, & constipari, & diætavoniv cohiberi. Ideoq; si plusculo tempore idem succus continuetur, pars certè inflammata rubra non manebit, sed aut livida, aut prorsùs nigra redderur: quemadmodum idem etiam contingere solet in medicatione erysipelatis. Sæpen umerò enim plerisque Medicis accidere solet, ut, cùm affectam partem immodecè refrigerant, eam & duram, & nigram efficiant. Quodsi vero non solanum, sed chamæelum accensæ particulæ adhibeas, eam contrario prorsùs modo affici animadvertes. Rara quippe, fusa, mollis & laxa evader, multumque illius superfluitatis, quæ sub ipsa continetur, transpirabit, nec li-

vida amplius nigrave erit, licet vel plurimis de-
inceps diebus chamæmelo utaris. Fundere enim
hoc ac digerere potest per halitum, nequaquam
contrahere, aut condensare, aut transpiratio-
nem impedire. Liquet ergo ex his, solano cha-
mælum esse contrarium. Quod verò, si utrum-
que simplex commisceas, evidenter utriusque
vires obseruentur, experientia docet. Si enim
simul solano & chamæmelo impositis, pars inflam-
mata neque ita densa, dura, tensa, lividaque
reddatur, atque si solo usus essem solano: neque
ad eo rara, laxa, mollis, rubensque fiat, ac si solum
adhibuisses chamælum, sed pars medium acqui-
rere constitutionem cōspiciatur, sequitur, utrum-
que medicamen secundum suam operatum esse
facultatem. Nam si neutrū egisset quicquam,
sed quievisset utrumq; sanè pars agra haud du-
biè eum servasset affectum, quem ab initio habe-
bat: non secus, ac si nihil omnino illi fuisset im-
positum. Sin autem alterum quidem eorum fuis-
set operatum, alterum verò penitus devictum, non
diabētiv medium, sed extremarum alteram per-
pessa pars agra esset. At si utrumque egit, eaq;
contraria fuere facultatibus, utiq; contraria eo-
dem tempore corpus est perpeßum. Nec enim par-
tis inter se agendi viribus operabantur: v. g.
priori diei parte solanum, posteriori chamæ-
lum. Ληρώδης γάρ οὐ τούθεοις ἀντί, nugax enim
hæc est suppositio, nec solūm demonstratione, ve-
rūm etiam omni probabilitate destituta.

Quem-

Quemadmodum igitur in compositis pharmatis mirum non est, si contrarij affectus corporibus simul infligantur: ita neque in simplicibus, quæ quidem ἡρῷς τὴν αὐθητινὴν simplicia apparent, ἡρῷς δὲ τὴν φύσιν αὐλην composita sunt. Et veluti nos in illis, quæ componimus & commiscemus, nunc v. g. plus adstringentis succi indimus, modo plus dulcis, aut amari, aut falsi, aut acris, aut alterius cuiuspiam contrariorum: aliquando verò portionibus equalibus simplicia inter se miscemus: sic quoque Natura in arboribus, fruticibus, animalibus, & in ipsa quoque terra, contrarios miscere succos, paribus aut portionibus (τοῖς ὅγκοις) aut viribus (ταῖς δυνάμεσι) solet. Solet etiam quandoque alterum efficere, qui vincat & superet. Vnde actiones eorum in mistura equali similes evadunt: in imparibus verò diversæ. Lib.3.c.16.

IX.

Nihilnē referat, adstringentem succum dicas, an adstrictionem? Refert sane. Nam οὐδὲν ἐν ἀπλεύτῳ φέρεται, una res simplex intelligitur: τὸ δὲ σύφον, adstringens, διτλὸν σῶμα ἔστι, duplex corpus est, quemadmodum & τὸ θερμαῖνον, calefaciens. Hoc enim partim simplex est & sumnum, (ἀπλεύτην καὶ ἄκρον) ut ignis: partim ἐπικρατεῖα per exuperantium caloris, ut sanguis. Sic τὸ σύφον geminum est: aliud ἄκρον sumnum: cuiusmodi sunt alumen, melanteria, sive atramentum futorium, galla, & rhus, sive sumach: aliud, quis adstrictionis cuiusdam est particeps:

ut pyrum, vinum, pomum, & rosa. Nam minimum in rosa est, quod adstringit, multis numeris eo, quod tale non est, superante. Propterea etiam adstrictionis istius effectus sunt leves atque exigui, tanti nimirum, dum à facultate χαλασικη, que rosae inest, corporum illi admotorum τονο, robur, non exolvatur. Itaque mirum non est, rosam medicinam esse inflammationum, ac potissimum in earum augmento, magis autem in principio. Lib. 3. c. 16.

X.

An oleum rosaceum, quod ex oleo olivarum maturarum & succo rosarum est confeatum, optimum sit inflammationum remedium in augmentatione? Ajentem tuetur Galenus, docetque, in principio inflammationum convenire ἀποκρεσικὰ, repellentia: in statu διαφορικὰ, digerentia & discutientia: in augmentatione ἀποκρεσικὰ διαφορικοῖς permista.

Primum membrum ita probat. Quo inflammationis tempore influxus vigint humorum, eo ἀποκρεσαι καὶ σέλλειν χρῆτας ἐπιρρόas, repellere & comprimere decet influxus. At in principio inflammationum influxus humorum vigint. Ergo eo uti decet repellentibus & comprimentibus, ut humores retrocedant & exprimantur.

Secundum hac ratione. Quo inflammationis tempore influxus humorum desit, eo qui influxerunt per halitum digerendi sunt & insensibiliter dissipandi. At in statu, sive vigore inflam-

matio-

inationis influxus humorum desit. Ergo eo sunt
digerendi & dissipandi.

Tertium hunc in modum. Quo inflammationis tempore humores partim adhuc influunt, partim jam influxerunt & impacti sunt, eo & repellere, & digerere oportet. Repellere, ut quod influit retrocedat; digerere, ut quod influxit & imbibitum jam est, insensibiliter evacuetur, & discutiatur. Atqui in augmento inflammationis humores partim adhuc influunt, partim jam influxerunt, & imbibiti sunt. Ergo eo & repellere, & discutere eos oportet.

Majoris consequentia sic confirmatur. Quo inflammationis tempore contrarie adsunt indicationes, illo etiam ipsis per ejusmodi remedia occurrendum, quae utrisque indicationibus satisfacere possint. At tempore augmenti adsunt contrarie indicationes. Ergo ipsis per ejuscemodi remedia occurrendum, quae utrisque indicationibus satisfacere possint. Talia autem sunt illa, quae & repellendi, & digerendi facultate pollut. Nam semel unoq; impetu, (ἀθρόως) ab adstringentibus, contrahentibus & repercutientibus medicamentis, quae tum humores retrudant, tum partem affectam constringant, ut quod influxit, exprimatur, & peri partis occludantur, quo minus influentes humores admittant, ad τὰ χαλῶντα, laxantia, νεὶ τὰ χέοντα, fundentia, tansire, ἀποτονεῖν est. Nam qualis est conditio morbi, talis etiam debet esse conditio remediij. At in augmento inflammationis, morbi

V 3 conditio

conditio est media inter contraria. Ergo & me-
dia debet esse remedij conditio: talis scil. qua ne-
que, ut in principijs, adstringat: neq; ut in vigori-
bus, digerat. Quicquid autem medium est, id ex
contrariis est mistum. Cum igitur augmentum
inflammationis medium tempus sit inter prin-
cipia earum & vigorem, idcirco medium etiam
remedium exposcit, quod partim digerendi, par-
tim repellendi virtutem obtineat. At tale me-
dium est oleum Rosaceum supra descriptum. Me-
ritò igitur præsidium in inflammationum au-
gmento optimum censem. Lib. 3. c. 17.

XI.

Num oleum rosaceum etiam aliam ob-
causam in inflammationum augmento maxi-
mè conducibile sit? Galenus responderet etiam
hanc ob causam conducere oleum istud, quia sit
tenue, tepidum, & exiguum habeat adstrictio-
nem: insuper etiam non statim effluat, sed par-
ti, cui adhibetur, inhæreat & immoretur.

Argumentari autem videtur hunc in modū.
Q. remedium in profundum penetrat, & in par-
te affecta immoratur, id conducibilius est in au-
gmento phlegmonum ijs, quæ hoc non præstant.
Atqui oleum rosaceum in profundum penetrat,
& in parte affecta immoratur. Ergo conducibi-
lius est in phlegmonum augmento illis, quæ hoc
non præstant.

Minor probatur, quod hæc oleum rosaceum
efficiat.

Etenim,

Etenim, Q. corpora exiccata magis humectat & emollit, quam oleum simplex, aut hydrelæum, quod ex oleo & aqua mistum est, id magis penetrat, quam alia. At oleum rosaceum exiccata corpora magis humectat atque emollit, quam vel oleum simplex, vel hydrelæum. Ergo magis penetrat.

Minorem hujus probationis probat experientia. Nam prædensas coriaceas tunicas oleo rosaceo tritas fuisse constat: quas non ita bene emollire & humectare potuerunt oleum & hydrelæum: idque propterea, quia crassiorum sunt partium, quam ut penitus imbibi ac penetrare queant. Quod igitur est tenuum partium, id magis penetrat, & si virtute polleat humectandi atq; emolliendi, etiam magis humectat & emollit quæ exiccata sunt atque indurata, quam ea, quæ partium sunt crassarum. At oleum rosaceum tenuum est partium: oleum simplex & hydrelæum crassarum. Ergo illud magis penetrat, & quia humectat atque emollit, etiam magis hoc præstat, quam vel oleum simplex, vel hydrelæum.

Obijcies: Quod adstringit, id penetrare in profundum non potest. Oleum rosaceum adstringit. Ergo in profundum & altè penetrare nequit.

Responder Galenus: Quod paululum solum adstringit, plurimum autem in se habet essentia, tūm tenuis, tūm tepidae, tantum abest, ut præ adstrictione ingredi altius prohibeat, ut etiam ab ea magis juvetur: ratio est, quoniam à vi ad-

V 4 stricto

strictoria quasi impellitur. At oleum rosaceum, paululum solum adstringit, plurimum autem in se essentiae tenuis & tepidae habet. Ergo adstrictionis ratione penetrare minimè prohibetur, sed potius ab ea juvatur.

Idem dogma Galenus etiam hoc modo confirmat. Si quæ valde adstringunt, & crassæ sunt admodum substantiae, frigida insuper, ut austera & acerba, minimè penetrant, sed primo statim contactu superficiem partium condensant, humoremque ingredi imbibique prohibent, sequitur, quæ parum adstringunt, & tenuis sunt essentiae, tepidae item naturæ, facere contrarium. At prius verum est. Verum igitur & posterius: quoniam contrariorum contrarij sunt effectus.

Deinde, si quæ valde tenuia sunt & calida, humores partium potius digerunt & discutiunt, quam ut alios in illas introducant, sequitur, quæ modicè & tenuia, & calida sunt, hoc non facere, sed propter tenuitatem penetrare, propter humiditatem emollire & humectare, propter tepidam caliditatem humores partium minimè absorbere. At oleum rosaceum modicè tenui est, calidumq; non excessive. Ideoque & penetrat, & humectat, & emollit.

Ratio est: quia cum modicum duntaxat calorem in se habeat, nimirum olei communis ratione, ex quo & ex succo rosarum est compositum, partium humores minimè digerit. Cumq; exigua predictum sit adstringendi virtute, quæ tenues partis

particulas meatum jam ingressas propellere queat
in profundum, ipsamque superficiem extrinsecus
constringere quadam tenus ac condensare, idcirco
humectare dicitur efficaciter. Ad strictionis quippe
vehementioris natura est, ut meatus occludere
praeoccupans, vicinamque substantiam ad se con-
trahens, constipansque, ijs, quæ humectare valent,
impedimento existat. At quæ adeò debilis est, ut
in oleo rosaceo, quæ vincatur potius, quam vin-
cat, tenues calidasque rosacei particulas pver-
tere nequit, sed ubi illæ altius penetraverint, in
ipsam jam tum superficiem agere incipit, consti-
pando, contrahendo, ac pro viribus condensando.
Ex quo necessariò sequitur, ut quæ corpuscula
exigua meatus ingredi antevertent, intro pro-
pellantur, ac meatibus præclusis foras regredi ar-
ceantur.

Commendatur igitur oleum rosaceum in aug-
mento inflammationum, tūm quod tenuè sit, te-
pidum, modiceque adstringens: tūm quod pene-
tret, & in parte inflammata immoretur. Pene-
trat autem, quia tenuè: immoratur autem diu-
tiùs, quia modicè adstritorum. Vnde fit, ut &
ad profundas, & ad superficiarias affectiones
conferat. Ad illas, quia penetrat: ad
has, quia immoratur. Lib.

3. C. 17.

V S CORO-



COROLLARIA.

I.

Qua virtute serum lactis alvum subducere dicatur? Cūm Galenus l. 3. simpl. c. 14. asseveret, caseofam lactis substantiam alvum sistere, serosam autem eandem movere, meritò queritur, qua virtute id præstet? Respondeatur, caseofam illud facere, quia crassa, solida & terrena: serosam verò, quia abstensoria qualitate prædita: idque propterea, quoniam nitrositatis aliquid in se habet: & plus quidem serum caprinum, quam vaccinum.

II.

Sitnē serum lactis frigidum, an calidum? A prædominio frigidum, quia aqueum. At aqua omnis, quæ quidem simplex, & potabilis, frigida. Interim tamen, quoniam serum nitrosum quodammodo est, ideo caliditatis aliquid in se habet. Non enim absurdum est, si dicatur, uni alicui simplici contrarias inesse qualitates. Probat enim Galenus hoc prolixè & operosè libro 3. simpl. cap. 14. & 15. exemplo Brassice, Beta, Lenticula, Conchularum marinorum. Probari quoque potest exemplo Rhabarbari nostri, quod & purgandi, & adstringendi facultate præditum.

III.

Cur jus Galli decrepiti alvum cieat: caro
verò

verò illius eandem cohibeat? Ita docet Galenus l. 3. simpl. c. 15. Sed rogatur, quæ effectus istius sit causa? Respondemus, carnem veteris, & decrepiti quidem galli alvum sistere, quoniam crassa, lenta, sicca atque dura, quemadmodum & aliorum animalium, quæ senio confecta. Ius verò illius ventrem solvere, ea ratione, qua serum, quia nitrosum. At quod tale, irritat, stimulat & abstergit. Quæres, unde istam virtutem habeat? Respondetur à carne, quæ quodammodo salsa. Senilibus enim corporibus haud parum falsæ pituitæ inest: cuius ratione senes & pruritus, & cachexia, & alvi fluxu, & stranguria, ab Hippocrate aphor. ult. s. 3. laborare dicuntur. Quamvis & aliæ horum affectuum causæ esse queant.

IV.

Cur Galenus libro 3. simpl. c. 15. asseveret, conchyliorum marinorum succum ventrem laxare: carnem verò illum compescere? Eadem illorum est ratio hoc nomine, quæ galli decrepiti. Succus alvum movet, quia salsus. Abstergit ergò, & ad excretionem irritat. Caro verò illam coercet, quoniam lenta, crassa, dura, & solida.

V.

Quæ causa, quòd adstringentia & ventriculum, & reliqua viscera corroborare dicantur? Quia unitam compactamque partium substantiam conservant: quo fit, ut & calor earum nati-

natus unitus maneat : & spiritus minus dissipetur. Hinc lib. 13. meth. medend. cap. 15. scribit, Attalo curam inflammationis hepatis pessimè cessisse, & Theagenem sustulisse è medio : quod singulis diebus id calente oleo perfuderit : & mox χαλασικὸν, relaxans cataplasma foris illi imposuerit : communi duntaxat indicationi, quæ est impacti sanguinis evacuatio, intentus : nihil quicquam de nobilitate, & necessitate hepatis sollicitus : cum tamen illi, tanquam Ἰησοῦς Θεωτικὸς δυνάμεως ἀρχὴ καὶ πίζωται τῶν φλεβῶν, adstringentia competant, utpote quæ tonum illius sarcum tectumque conservent.

V I.

Num sola adstringentia partes confortent? Nequaquam. Sunt enim confortantia varia & multiplicia : duplii tamen classe comprehensa. Quædam enim roborant manifesta, quedam occulta qualitate. Quæ manifesta qualitatid faciunt, vel adstringendo nativum calidum conservant : vel proprium temperamentum custodiunt : vel intemperiem alterando naturale temperamentum restituunt : vel noxias & superfluas humiditates absorbent, digerunt, vacuant : & sic aut per se, aut per accidens solum, proprie vel impropre corroborant. Quæ occulta qualitate & facultate robur addunt partibus, varia similiiter sunt, ex albo vegetabilium, animalium, mineralium fossilium & marinorum corporum de- prompta. Ex Vegetabilibus sunt Melissa, Ange- lica,

lica, Ruta, Crocus, grana & succus Alkermes &c.
Ex animalibus Os è corde Cervi, Moschus &c.
Ex fossilibus & mineralibus Aurum, Lapidès
preciosi, Sapphirus, Smaragdus, Hyacinthus, Terra
Lemnia, & Sigillata &c. Ex marinis Ambras,
Margaritæ, Corallia &c.

VII.

An verum, quodd ab esu adstringentium
quibusdam alvuus subducatur? Hujus proble-
matis meminit Galenus lib. 2. de alim. facult.
c. 22. & dicit, se tūm ratione, tūm experientia
didicisse, quod rā svælinā, qualia sunt cydonia, &
pyrorum pomorumque quædam genera, pōstremo
loco esitata, ventrem ijs subducere soleant, quib.
stomachus est debilis atque infirmus. Ventricu-
lum enim roborando, faciunt, ut ad expellendum
deorsum, quæ in se continet, incitetur. Id quod
tūm in quibusdem alijs, tūm vel in primis etiam
in Prota, Oratore, Galenus se expertū testatur.

VIII.

An Cicutæ, Mandragora, Hyoscyamus, Pa-
paver, &c. extremè sint frigida, hacque frigi-
ditate væginalinā? Ajentem defendit Galenus
passim: præsertim verò l. 1. simpl. c. 3. & 12. nec
non l. 3. simpl. c. 18. Nos frigida quidem illa esse
concedimus: sed frigiditate væginalinā esse inficia-
mur. Næpnois enim verè proprięq; dicta, qua &
sensus stupefiunt, & dolores sopiuntur, & somnus
accersitur, & fluores inhibentur, & mens turba-
tur, non à frigiditate, sed occulta qualitate pro-
venit.

venit. Aliâs enim & alia insigniter refrigera-
rantia, ut glacies, nix, grando &c. similia infer-
rent symptomata, quod tamen hactenus usu com-
pertum minimè fuit. Et minima portio ho-
rum simplicium *νάρκωσιν* inducit, quod magna
nivis, glaciei & grandinis copia facere non potest.
Malitia quoque istorum simplicium calorificis
emendaretur remedij. Et symptomata ab ijs
invecta ab ipsis tollerentur è medio, si sola nu-
daque frigiditate excedente *νάρκωσιν* essent.

IX.

Qua de causa vinum frigidos pariat affec-
tus? Experientia testatur, bibones, qui Baccho
semper litant, vinoque interdiu & noctu ma-
dent, frigidis obnoxios esse morbis, apoplexia, pa-
ralysi, catarrhis, articulorum doloribus, cruditati-
bus, &c. Haud ergo immerito queritur, qua
hujus rei causa sit, cum vinum calidum sit, &
proin affectus suæ naturæ similes procreare de-
beat? Respondetur, vinum per se frigidos morbos
minimè creare, sed tantum per accidens: vel
quod calorem nativum immodice potum quasi
suffocet, & extinguat, ut majus lumen minus: vel
quod halitibus suis caput impleat, qui postea in
aquas vertuntur, dictorumque vitiorum causæ
existunt.

X.

Recténe veterum quidam acetum dixe-
rint vini cadaver, & vinum mortuum? Sic
dixisse illud Galenus l.i. simpl. c. 17. attestatur:
G.

Et rectè quidem: quoniam ex vini corruptione
natum. Perijt enim vinum, & inde acetum pro-
ducum.

XI.

Utrum acetum putridum quid sit? Haud
opinamur. I. quia instar putridorum liquorum
minime fætet. II. quia putredini potenter re-
sistit, non secus atque sal. III. quia instar re-
rum putridarum minime humidum est, sed vali-
dè siccatur. IV. quia diutissimè durat, & eò qui-
dem diutiùs, quò est acidius & acrius: cùm ta-
men alia, quæ putrescunt, brevi prorsùs inte-
reant.

XII.

Unde hydropicorum sitis, cùm copia in
illis sit aquæ, quæ frigiditate & humiditate
sua sitim aliâs restinguunt? Aqua simplex & po-
tabilis sitim delet, quia frigida & humida. Talis
autem hydropicorum aqua non est: sed serum
corruptum: quod si diutiùs fuerit in ventris ca-
vitate detentum, non secus, ac resides stagnantes-
que aquæ, quæ immotæ uno eodemque in loco
persistunt, putredinem acquirit. Salsum præterea
est. Ideoque calidum siccumque: & hac gemina
qualitate sitim, quæ appetitus frigidi & humili
ab Aristotele 2. de animo dicitur, inducit.

XIII.

Nunquid Aloë venarum otifacia claudat,
an verd aperiat? Claudere illa videri posset:
tùm quia adstrictionis est particeps: tùm quia
empla-

emplastica : tūm quia vulnera glutinat : tūm
quia foris admota sanguinis eruptiones sistit. Ve-
rūm experientia docet contrarium, cui Galenus
in dijudicatione facultatum plus semper tribuit,
quām rationi. Nihil enim citius mulieribus
menses movet, nil promptius viris hæmorrhoides
ciet aloë. Necessum igitur est, ut orificia vena-
rum aperiat : quas aperire & subtilitate sub-
stantie suæ, & amarore, & calore, & acrimonia
credimus. Quæ enim talia sunt, ea avosopumina
consentur. Vis adstrictoria aperitivam in aloë
non impedit. Scimus enim, utramque etiam alijs
inesse simplicibus : v. g. absinthio, rhabapontico, rhæ-
bararo, &c. Neque facultas emplastica aperi-
tivam tollit. Foris namque aloë apposita glutin-
ne suo venarum osculis quasi operculum quod-
dam imponit. Intus vero usurpata eadem sua
renuitate, calore, acrimonia & abstersiva virtute
recludit. Vulnera glutinat facultate adstringen-
te, siccante & detergente. Vasorum vero oscula
diducit qualitatibus enumeratis. Sanguinis pro-
fluvium foris coercet potestate adstrictoria & em-
plastica. Intus adhibita idem promovet faculta-
te alia, quæ jam exposita. Non enim sub-
stantia sua emplastica ad venas per-
venit, sed virtute subtiliore,
quæ aperitiva.

F I N I S.

2d 2663

ULB Halle
006 549 195

3




WCM M



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black	Grey	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------	------	-------



U
RUM
17. Libri
licamen-
ta Argent-
oposita
BIZIO,
ESSORE
o Cæsa-
tro:
EPPLIN,

T I,
ELFERRI.